Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

dupl. 10.011

M N. 110.

ALOISII MARLIANI

Oratio in comitijs ordinis Aurei velleris sereniſſimi Caroli regis catholici edita.



(21) 1517.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Vi veritati religiōis nostræ, opiniōe propius accesse-
q re philosophi, ex vno deo omia fluxisse putāt. Qui ve
ro cū deo æterna omia fuisse credūt, vnū deū præesse
oibus affirmāt. Vnus igitur oim consensu aut dns est oim aut
author. In hocq; discordes concordauere: credidere igit vnū
esse deum. Videre aūt vnum solem diei præesse, vnāq; lunam
nocti, Hinc excogitauere fore in terris optimo ordine cuncta
disposita: si deū vnū, quem credebāt, solemq; vnum, lunā vnā,
quos videbāt imitarent. Præcipue quū etiā muta animātia vi-
derent vnū sibi ducē deligere tanq; vnū principiū sit omium,
Nautas nautam vnū, Milites vnū impatorem, tantamq; esse
vni⁹ pfectionē, vt nec cōmode ordinari, nec esse entia possint
sine vno, Ne quid igit i re pcipua deesset, quum sit hō natura
animal sociabile & politicū, cepit ex pagis ciuitates, ex ciuita-
tibus regna cōdere. Primūq; in terris dignitatis nomē regium
fuit, si philosophis, si historiographis credim⁹. Quū regnū in
terris nō minus foret necessariū q; vtile. Cuncta aūt composi-
ta erāt ex vno & multis, vno rege qui imperabat, multis qui pa
rebant. ¶ Animaduertere postea seditionū & discordiarū ma-
trem inæqualitatē esse. Nec sine inæqualitate stare orbē posse
aut rempublicam. Nam profecto iniquus rex esset si sint paria
omia. Quū nec grā nec merita apud illum possent. Excogita-
uere idcirco hoies vt musicā artem imitarētur, quę ex diuersis
vocibus gratibus acutis medijs, vnū concentū & consonam
harmoniā efficiat, equalitatēq; quādā, quum id excogitassent
in inæqualitate inuenere, quę suo numero & ordine cōstaret.
Sorsq; cuiq; esset quę cōueniret, quę quēq; deceret, Ideo post
reges quum & ipsum deū viderent qui nullius officio egeat ni
si suo, intelligentiarū cœli, fortunæ, temporis seruitio vti, Ciui-
tates & regna ita partiti sūt: vt hi qui vel maiorū gestis & anti-
qua nobilitate, virtuteq; nobilitati cōiūcta cæteros prestarēt,
Aut aliq; recēti & admirabili virtutis expimēto excellerēt re-
gesq; iuuissent, hi regib⁹ ppinquiores essent q̄rū cōsilio & offi-

cio rex vteret. Proceres inde hi patres senatores appellati sūt,
equestris post hos locatus ē ordo, plebeij & qui in agris degūt
demū. Aequales patribus equestris ordinis viri esse nō debe-
bant, neq; plebeij aut agrestes viri equestribus, nisi ea æquali-
tate quę honesta: vtilis: decora: cōueniēs cuiq; ordini eēt. Pro-
ceres igit & pres cū rebus & belli studia & pacis officia tracta
bant prout quisq; aptior erat, cæteri mādata excipiebāt. exor
tum aūt dubiū certamē ē inter mortales cōsilione an viribⁿ &
armis res magis, pcederet, vsu tandē & piculo compertū ē alte
rū alteri⁹ officio egere, quū sit & cōsilio & facto op⁹. Quumq;
id exploratū esset tribusq; hominū generibus nō minus regū
opes crescant q̄ fluminib⁹ maria, senatorib⁹ scilicet: oratorib⁹
impatoribus, Nescio quid tū plus sibi arma vendicauere quā
togę: hocq; nisi eis cōcederet vim illatura videbantur. Etenim
quia victoria armis quęrit, victorię aūt, & artes & opes & om
niū omia parēt, præstātius putauere. qd victoriā maxime pa-
riat scilicet militarē disciplinam quę pfecto oibus artibus ma-
scula magis & virilis esse videtur. Maiores idcirco nostri (q̄ ab
alijs viriles hi viri dignoscerent) qui regib⁹ ppinquiores erāt
purpura primū honestauere. vnde purpurati dicti. Alexāder
vero magnus argenteis clipeis suos ornauit argyraspidasq;
vocauit. Romani, p cuiusque merito & coronis quēque deco-
rauere: ciuicis: muralib⁹: naualibus: vt nec latere virtus vnquā
potuerit: nec cuiusquam meritū. Eoq; reges maiores fuisse ex-
perimēto cōpertum est, quo maior apud illos magnorū viro-
rū copia fuit. Alexandro magno prona oia fuisse Curtius mi-
nime mirat, quū viderit tot reges eū q̄t socios habuisse: Perdi-
cas: Eumenes: Ptolomeos: Antigonos: Selenos: Lysimachos:
Pyrrhos. Asini⁹ aūt pollio pstās & bello dux & orator Cæsarē
Pōpeio præstasse, vel hoc vno opinat, q̄ verā ducū sobolē se-
cū habuerit, Antonios Dolobellas: Hircios: Pāsas, Labienos:
Senas: Cicerones. Occurrere mihi hi duo tantū q̄s in medium
afferē, nō q̄d innumeri nō occurrāt hoc exēplo celebres. Ve-

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

rum tam clara horũ apud omes sunt noia, vt se ille ignoret qui hos nesciat. Ad summũ siue reges ipsi magnos hos viros effici ant, aut hi magni viri magnos reges incertum est, siue vtroscꝫ cœlũ, vt qualia velit tpa tales effingat homies. cum sit explora tum sine magno rege magnos viros, nec sine magnis viris ma gnos reges fuisse, credẽdum tamen ex regibus id potissimum emanasse, Sunt nãcꝫ deo proximiores reges, nisi sua culpa a gradu suo labant. At nullũ antiquius aut augustius honestate virtutis monumẽtũ extat, cꝫ de quo acturi sum⁹. Siue illud ex Gedeone, siue ex Iasone maiores nostri repetãt. Gedeone, qui dei auxilio, ne dicam auspicio, quem deũ religione & fide no uerat, cũ paucis ea gessit quę fieri non posse putent, certissima victorię signa a vellere auspicatus, & a militibus qui nõ manu flumen libauere, sed pronitancꝫ flumen epotaturi essent, pcu buere. Pauci em quum innumeros fugassent & mille fugerẽt vno sequente, ostendere deũ secum esse. Hinc Gedeon regib⁹ monstrauit, vt omibus in rebus religionẽ colerẽt, quum a deo & reges regnẽt & teneãt terrã. Et profecto is rex errat & in no cte versatur, qui sibi deum tancꝫ solem nõ pręponit dũ cogitat dum cõsulit, dum agit. Quũ sint obscura sine deo omia, fiunt nãcꝫ a deo omia & sine ipso nihil. Maiores igit tui Carole du ce eo, qui oia potest quum vult: freti, & insignes aureo vellere & paucis his militibus qui flumina epotaturi virtutis fidei & famę videbantur, medij iter Germanos Gallos & anglos par ua manu toties de tot & tantis hostibus spolia victores repor tauere: dum ipsi in deũ tales sunt, quales in se subditos suos es se cupiunt. Hęc em compendiosa est regibus ad virtutẽ/ad re cte bene beatecꝫ regendum imperiũ via. Quũcꝫ ex deo large accepissent tales in suos fuere: qualẽ in se deũ esse sensere iustũ scilicet, misericordẽ, munera gratiaꝫ liberalit in hoies vltro ef fundentẽ & amore suo cuncta ambientẽ, & complectentẽ. A subditis aũt responsũ est fide, obseruantia, officio, & eo etiam officio quod citra mortẽ fieri nõ possit. Arduũ autẽ quicꝫ re

gibus esse nõ potest, vbi regũ amor & subditorꝫ fides ita con ueniũt, vt necamor principũ aliquid omittat, aut fides subdi torum timeat. Argonautaꝫ autẽ monumẽto necꝫ quicꝫ anti quius ẽ, necꝫ nobili⁹. Cõuenere in vnũ principes Græcie, qui crediti aut dijs geniti sũt, aut quadã excellenti virtute prædi ti ipsi dij videbantur. Argo tũc primũ nauis inuẽta ẽ, Sulcata in solita & nauim admirata maria, vellus aureũ tam longe p tot maria & picula petitũ virtute duce, comite fortuna, vrgentib⁹ acriorib⁹ glorię & honoris stimulis onusta ferebat Argo, quę terris surripuerat lumina, prudentẽ Iasonẽ, quẽ cęteri comita ti sunt, temperatũ Nestorẽ, ex cuius ore melle suauior fluebat oratio: vt contexta florida verba oronẽ tanquã flores coronã necterẽt: sapientẽ Orpheum, iustũ Aeacũ, Fortem Herculem, Theseũ, Thelamonẽ, Peleum, Castorẽ, Pollucem, Xetum, Ca laym, cęterosꝫ fortiores, vt ostenderẽt desiderari plurium ad agendũ operã & fortitudinẽ, quã ad consulendũ sapientiam. Rarior nãcꝫ sapiẽtia ẽ cꝫ fortitudo. His freti quicꝫ eis diffici le nõ fuit, nã quũ eo pueniſſent, q̃ pueniri nõdum inuẽta naue nõ posse putabat: & spirãtes ignes, indomitos & rebelles tau ros domuere: & perugilẽ sopitũ draconẽ occidere, satiscꝫ den tibus obortam segetem illã militũ coegere vt rueret in mutua vulnera & periret, Gestis his ostendere nihil virtuti inuiũ aut impossibile esse, si vires & fortitudinẽ prudentia temperaue rit, Intẽtatũcꝫ alias vellus aureũ ex Colchide in Græciã trãstu lere oipotentis Martis præmiũ. Quod nunc familię tuæ & eo rum regũ & principũ, qui cum ea sentiũt insigne est. Cõuenie bat aũt nulli gẽti id poti⁹, quã tuę, cꝫ tibi. Tuæ si Burgũdionũ primũ ducum, vnde tibi origo est, & nobilitatẽ, & forcia facta numerem⁹, Repetũt nãcꝫ illi originẽ ex Franciæ & Burgũdię regib⁹, q̃ quũ a pre Frãcię rege Burgũdiã maternã hereditatẽ accepissent, Fortissimos Belgas Burgundionib⁹, & Batauos Belgis addidere. Tantũcꝫ post magnanimũ Philippum, Ioan nem, & optimũ Philippum Burgundionũ, in Carolo opes &

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

vires creuerant, vt post multas victorias eũ fortuna nõ ferret; Animo nãq; Italiã & orbẽ cõcipiebat, solũq; in eo aut malus euentus, aut nimia virtus culpari põt, Est em etiam in virtute: Ne quid nimis. Aut si ad Austriã respicim⁹ gentẽ, quę quum a Romanis, vl' vt quidã, ab Hercule originẽ ducat, vltra octin gẽtos annos Heluetie iniũctę genti (cuius caput Habspurg) imperauit: Sueuiæ deinde partem occupauit. Demũ Noricũ, Pãnoniã inferiorẽ, Austriã, Dalmatas, Illiricos, Rhetos, eoq; deuenit, vt Vngaroꝝ & Bohemorũ regna teneret. Tot impatorũ, regũ, ducũ mater & altrix familia. Regnũ demũ tuũ Burgondionũ & Belgarũ auus tuus matrimonio obtinuit. & pater tuus Hispaniæ regnum, Quumq; superstes patri tuo auus eo loco consederit, vt nec impeator nomine, aut rebus gestis maior esse possit, quotidie tñ tam alta concipit, vt fieri nõ posse putentur. Rebus aũt suis nihil vnq; minus defuit, q; virtus. Hæreo & totus pendeo quũ mecũ repeto Austriæ familię cursum, vt de ea vna cogitasse deũ, sint qui credãt, quũ videãt primũ Heluetiæ genti impasse, demũ Sueuis, Noricis, Pãnonib⁹, Dalmatis, Illiricis, Rhetis, Burgũdiõib⁹, Belgis, Hispanis, Italꝝ Aphiris, Indis, peneq; euersam maiores casu vires resumpsisse. O rem quæ sine deo authore fieri nõ potuit, vt tam diuersæ & diuisæ penitus in toto orbe nationes in vnũ coirẽt, Vel si ad maternum tuũ genus respicim⁹, Hispanũ equidẽ genus, Gothicam, pfecto bellicosissimã gentẽ quę Scythica Italiã occupauerit, Galliæ portionẽ possederit, & Hispaniã p tam longã regũ seriem tenuerit. quorũ vltimus auus tu⁹ cũ Elizabeth regina muliere nunq; satis laudta nõ contentus regnis fœliciter in Europa quæsitis, quiescere Aphricã & Asiam non est passus. Siue igit' inuictã Burgundionũ gentem repetimus, siue supra oẽm laudẽ Austriã gentẽ, vel Gotticam incomparabilẽ; nulli gẽti aureũ vellus magis debebat, q; tuæ. rectius tñ tibi in quo vno hoꝝ oim sunt omia. O te beatum Carole, pro quo omnia fata laborare videnť. O te terq; quaterq; beatum, pro cui⁹ magnitudine fortuna & natura cõtendũt. Si virtutẽ (quam indoles tua refert, & quã quotidie e tenui nube tanq; solem erũpere videm⁹) addideris. Tuq; Hispaniarũ dñs, Insularũ Balearĩũ Sardiniæ, Sicilię, regni Neapolitani, Burgundionũ, Belgarũ, partis Aphricæ & Indiæ, tanq; Iason non exiguæ Græcię, sed maximos maximæ Europę reges prouocaueris: vt tandẽ sopitis domi rebus, pro quibus componendis tãtum, nec vt puto frustra, laboras: arma, p reparanda Aphrica, & Asia coniungant: vt ea concordia Christianę reipu. reddat, quæ discordia abstulerit, hoq; profecto aut nunc fore, aut nunq; fore speramus, quum orbis Christiani summa ad paucos peruenerit, faciliusq; pauci deliberent. Aetas præterea orbis christiani regibus est ea, quæ surgẽs ad res gerendas, maxime oportuna sit. Iuuenẽ pontificẽ nunc primum hæc nostra ætas protulit, Frãcię regem iuuenẽ, Te Carolũ, Angloꝝ regẽ, Hungaroꝝ, Dacarũ: Lusitaniæ; Vnũ Cæsarem grãdiorẽ hęc ætas fato seruauit. Feruida aũt ætas, si honoris, si famæ stimulos nõ sentit, q̃d sentiet? Authore te Carole hoc fieri omẽ accipim⁹. Nã nõ sine dei numĩe tãtã tibi magnitudinẽ ab incunabulis ipis natã putamus, quę nulli nascenti cõtigerit. Nisi vt hęc magnitudo stabilis & mole constans sua, alios reges, & tibi, & inuicẽ sibi cõiungeret, quod fore speramus, Cæsarẽ namq; patrem habes, Franciæ regem eo in te esse anio audimus quo in filium pater. Eo em noie semper appellaris. Auunculus tibi est anglię rex, non minus necessitate quadã coniunctę fortunę, q; necessitudine coniunct⁹, Sororius Hungarorum, Sororius Dacarum, Auũcul⁹ Lusitaniæ. O mirã orbis Christiani, & tuãetiã Carole fœlicitatẽ, cui nascẽti pl'a oblata sũt, q; peti possent. Verꝝ vt te his parẽ ostẽdas oportet, ỷ tuteq; tua tãtã orbis molẽ nou⁹ Hercules & Athlas sustineas. teq; ipm & magnitudinẽ cognoscas tuã. Virt⁹ tibi famã pariet: q̃ i fidẽ tuã ml'tas natiões, quas nũq; accedes ipsa accedẽs detinebit: quũ illis ostẽdet nec sperare maiorẽ nec hẽre te meliorẽ posse. Aio pręterea voluas ne

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

cesse ē: turpius esse parta nō seruare; q̃ q̃ gloriosum querere. Repetasq̃ sæpe Cæsaris dictū: Difficilius esse ex primo secundū, q̃ ex secūdo fieri vltimū, Facillime aūt & parta seruabis: & fortunā etiā vota tua preuenire coges: si post religionē & iustiçiā fortitudinem prudentię coniungas. Nō em̄ sola prudentia regna reguntur: neq̃ sola fortitudine seruant̄ sed prudētia & fortitudine. Nam nec sine fortitudine tuta est authoritas aut prudentia: nec fortitudo sine prudētia moderata. Armis igitur & consilio opus est. Repetam iterū, Armis & consilio est opus: si eam dignitatē & magnitudinē: quæ tibi a deo: a natura: a fortuna donata est: aut retinere cupis aut augere. Res eteni ijsdē ferme artibus seruantur; quibus & querūtur. At nunc res nos admonet: vt impatoribus: regibus: ducibus & fortissimis viris qui huius ordinis fuere & fato functi sunt: hodie parētemus: cras aūt eos substituam⁹, vnde ineternū tā nobil⁹ ordo ppagē.

F I N I S

BASILEAE
apud Pamphilum. G.
Mense Iunio.
M D XVII
Regnante Imperatore Cæs. Maximiliano. P.F. AVG. P.P.